



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispv. CLXVIII. An origines oppositæ, & distinctæ secundum rem, habeant
inter se ordinem prioris & posterioris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

non valet reciprocaconis consequentia, ut nota-
uit idem Aristot. in *pradicam. cap. de modis prioris*. Hic
autem ordo & modus prioris secundum rationem
assignatur inter communia prædicata in diuinis,
scilicet essentialia & personalia: inter personas autem
relatas non potest esse, quia relata sunt simul co-
gnitione; superest igitur, ut alio modo, quem Ar-
istot. non nouit, neque numerant; prius & po-
sterius inter personas relatas assignari debeat,
nempe secundum originem, qui potest esse inter
ea, quæ sunt simul natura & cognitione: tamen si
non omnia relata sint simul natura. Potest autem
hic ordo reduci ad quintum quem ex Aristot. nu-
merauimus, scilicet tamen imperfectionibus, ut
explicatum est; ut prior origine, etiam sub con-
ceptu relatiuo, dicatur, à quo est alius; poste-
rior autem, qui ab alio est. Atque ex his soluuntur
quæcumque argumenta, quæ in contrarium
afferri possunt.

Non licet
absolute di-
cere unam
personam
alia prio-
rem, sed
addi debet,
secundum
originem.

Deinde notandum est, etiam si ordo inter per-
sonas sit prioris & posterioris secundum rem, ut
explicatum est; non tamen licet absolute appella-
re unam personam priorem secundum rem, quam
aliam, nisi cum additamento, *Secundum originem*.
Nam cum non addimus, *Secundum originem*, sed ab-
solute dicitur una persona prior secundum rem,
quam alia, videtur significare prius aliquod du-
ratione, quod in diuinis personas conuenire ne-
quit: cum illo vero additamento illud non signifi-
camus. Et sane cum illo additamento non nega-
ret S. Thom. hunc modum loquendi.

DISPUTATIO CLXVIII.

An origines oppositæ, & distinctæ secun-
dum rem habeant inter se ordinem
prioris, & posterioris.

Opiniones Bonauentura & Durandi c. 1.

Non minus per se esse realem ordinem prioris, & postero-
ris inter origines, quam inter personas, verior sen-
tentia est c. 2.

CAPVT I.

Opiniones Bonauentura & Durandi.

Nulla de originibus videbatur superesse diffi-
cultas: nam ex dictis de ordine personarum
facile poterat iudicari, quid de ordine originum
dicendum esset. Verum, quia nonnulli varie sen-
tentia peculiaris disputatio instituenda fuit.

Bonauent. igitur in *1. d. 12. q. 4. docet*, processionem
verbi priorem esse secundum intellectum proces-
sione Spiritus sancti. Ex quo etiam concedere de-
bet, unam esse priorem alia secundum intellectum.
Vbi enim est ordo, ibi est prius & posterius, ut
præced. disput. c. 2. dicebamus: negat autem q. 2.
unam originem esse secundum naturam priorem
altera; an vero sit ordo, secundum naturam non
definit. Fortassis etiam hunc ordinem concederet
sine priori & posteriori, sicut inter personas con-
cessit disput. præced. c. 1.

Durandus vero in *1. distinct. 12. q. 1. Meminit* huius
opinionis Bonauent. qua ponit ordinem inter
origines, & hac ratione eam confirmat: Spiritus
sanctus per se procedit à filio: ergo processio per
se supponit generationem filij, à quo ipse proce-
dit; ac proinde processio per se supponit genera-
tionem. Sed statim eam improbat hoc modo. *Aris-
tot. 1. poster. cap. 4. docet*, idem esse per se, & secun-

Prima opi-
nio, origi-
nam verbi
esse ratione
priorem ori-
gine Spiritus
sancti.

Secunda o-
pinio, esse
qualem or-
dinem secun-
dum rem, sed
solum per
accidentem.
Aristot.

dum quod ipsum: sed spirare non conuenit filio
secundum quod filius est; ergo spirare non con-
uenit per se genito, ac proinde processio Spiritus
sancti non supponit per se generationem. Quæ-
ritur, si illius quæstionis ipse aliter, inter genera-
tionem, & processionem esse quidem ordinem
originis naturalem, hoc est, secundum rem, sicut
inter personas: illum tamen non esse per se, sed
per accidens. Pro cuius explicatione notandum
est primum, nullam actionem pendere ab alia
actione, aut habere ordinem per se cum illa, nisi
quia terminus præcedentis est per se principium
subsequentis; bifariam vero actio præcedens po-
test comparari cum subsequente: vno modo ita,
ut producat terminum, qui est per se principium
subsequentis: sicut prior calefactio producit ca-
lorem, qui est per se principium sequentis cale-
factionis; altero modo ita, ut actio præcedens pro-
ducat terminum, qui est per accidens coniunctus
principio actionis sequentis, sicut frigefactio &
disgregatio visus se habent; nam frigefactio per se
tendit ad frigus, quod per accidens coniungitur
albedini, quæ disgregat visum. Deinde nota,
actionem præcedentem manere coniunctam ter-
mino, quoties terminus pendet ab agente, ut fiat,
& conseruetur.

Ex his duabus notationibus colligit Durand.
hanc rationem, quoties actio præcedens producit
terminum, qui secundum quod talis est, & quæ
per se est principium sequentis, duæ illæ actiones
habent per se ordinem, qualis inter actiones esse
potest; neque enim una actio habet ordinem cum
alia, sicut neque una ab alia pendet, nisi ratione
termini producti: cum vero actio præcedens so-
lum producat terminum, qui per accidens con-
iungitur principio sequentis, & actio præcedens
non manet cum sequenti, duplici ratione inter se
habent ordinem per accidens, & quia terminus
est per accidens coniunctus principio, & quia
actio præcedens non manet. Nunc autem in di-
uinitis una tantum ratione habent ordinem per
accidentem origines inter se, quia prima producit ter-
minum, cui accidit esse principium sequentis, quia
filio secundum quod filius est, non conuenit spi-
rare, cum tamen, secundum quod filius est, sit ter-
minus generationis.

CAPVT II.

Non minus per se esse realem ordinem prioris & postero-
ris inter origines, quam inter personas,
verior sententia est.

Opposita sententia amplectenda est, quæ al-
firmat, inter origines passivus esse realem
ordinem prioris & posterioris, non minus per se,
quam inter personas: ratio enim Durandi frus-
trata est, ut statim patebit. Hanc sententiam expre-
ssit Scholasticus, sed meo iudicio, ut
se non tradunt Scholastici, sed meo iudicio, ut
notam supponunt; non quidem quod attinet ad
rationem prioris & posterioris; de hoc enim ex-
dem esset controuersia de originibus, quæ fuit de
personis; sed quod spectat ad ordinem naturalem
& realem per se. De priori & posteriori nunc
hil dicendum est, sed eodem modo probatur do-
bet hæc sententia, sicut disputatione præcedenti
probata est illa de personis: de ordine vero ipsi
per se, id quod diximus, facile confirmari potest
hoc modo.

Ordo per se inter duas actiones bifariam comparatur.

siderari potest, vno modo, quia præcedens actio producit terminum secundum eam rationem, cui per se conuenit esse principium subsequens: & ita præcedens calefactio & subsequens per se ordinatur, quia præcedens producit calorem, qui est per se causa loquentis calefactionis; & generatio filij in humanis & nepotis, quia filio generatur, ordinem habent per se: quin imo frigefactio, & digestio visus eodem modo ordinatur saltem remotè, quia frigefactio tendit ad frigus, quod per se est causa albedinis, quæ deinde digestat visum.

Altero modo, quando prior actio terminatur ad causam, cui essentialiter sequens actio subijcitur: quia ratione vocant Philosophi causas essentialiter subordinatas ad generationem hominis, causas vniuersales & hominem: Nam ceteri homines, qui præcesserunt genitorem, vt auus, abauus & reliqui dicuntur causæ per accidens subsequens generationis. Processio autem Spiritus sancti in diuinis ordinem habet per se cum generatione vtroque modo: tum quia generatio terminatur in filium, cui per se conuenit spirare: tum etiam, quia essentialiter inter se ordinantur hæ processiones, hoc est, ad eum modum, quo Philosophi appellat causas subordinatas, vna processio subsequitur aliam. Filium autem per se spirare, manifestum est: Nam quamvis filiationi, quam falso putauit Durand. esse terminum formalem generationis, non conueniat spirare, tamen personæ filij, qui est per se terminus productus conuenit spirare, & verè dicitur spirare in quantum filius, non quia filiatione spiraret, id enim non significat particula. In quantum, aut secundum quod ipsum, aut per se; Sed quia talis proprietatis characteristica producit, vt habeat fecunditatem spirandi: hanc enim habet vis originis, quæ accipit naturam, quæ est terminus formalis generationis, vt disput. 162. c. 3. tali ter determinatâ proprietate, vt suapte natura spiraret. Ergo quamvis dici non possit, filius eo spiraret, quo est filius; dicimus tamen, spirat secundum, quod est filius, vel in quantum est filius, quod perinde est, ac si dicamus, filius per se spirat, non per accidens. Quam differentiam inter particulas. In quantum, secundum quid, & per se, & particulam eo, assignauimus supra in annotat. art. 6. q. 39.

Vltimo obseruandum est, quamvis inter personas actus relatas sit ordo realis & naturalis, & prioritas secundum originem; non tamen sit vna prioritas secundum rationem, vt supra notatum est: inter origines tamen passiuas non solum vna esse priorem alia, ordine reali & naturali, sed etiam rationis, vt docuit Bonauent. quia origines passiuæ, non sunt mutuo relatae: nempe generari & spirari: & ita etiam per intellectum concipimus prius generari, quam spirari, cum tamen patrem non intelligamus, relatum prius, quam intelligamus filium.

ARTICVLVS IV.

Vtrum filius sit æqualis patri secundum magnitudinem.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod filius non sit æqualis patri in magnitudine. Dicit enim ipse Ioa. 14. pater maior me est. Et Apost. 1. Corint. 15. ipse filius subiectus erit illi qui sibi subiecit omnia.

2. Præterea. Paternitas pertinet ad dignitatem patris: sed paternitas non conuenit filio, ergo non quicquid dignitatis habet pater, habet filius. Ergo non est æqualis Patri in magnitudine.

3. Præterea. Vbi cumque est totum & pars, plures partes sunt aliquid maius quàm vna tantum, vel pauciores, sicut tres homines sunt aliquid maius quam duo vel vnus. Sed in diuinis videtur esse totum vniuersale & pars. Nam sub relatione vel notione plures notiones continentur: cum igitur in patre sint tres notiones, in filio autem tantum duæ, videtur quod filius non sit æqualis patri.

Sed contra est, quod dicitur Philip. 2. Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere filium esse æqualem patri in magnitudine. Magnitudo enim Deion est aliud, quam perfectio naturæ ipsius. Hoc autem est de ratione paternitatis, & filiationis, quod filius per generationem pertingat ad habendam perfectionem naturæ quæ est in patre, sicut & pater. Sed quia in hominibus generatio est transmutatio quædam exeuntis de potentia in actum, non statim à principio homo filius est æqualis patri generanti, sed per debitum incrementum ad æqualitatem perducit: nisi aliter eueniat propter defectum principij generationis. Manifestum est autem ex dictis, quod in diuinis est propriè & verè paternitas & filiatione. Nec potest dici, quod virtus Dei patris fuerit defectiua in generando, neque quod Dei filius successiue, & per transmutationem ad perfectionem peruenerit. Vnde necesse est dicere, quod ab æterno fuerit patri æqualis in magnitudine. Vnde, & Hilar. dicit in lib. de Synod. Tolle corporum infirmitates, tolle conceptus initium, tolle dolores, & omnem humanam necessitatem: omnis filius secundum naturalem natiuitatem æqualitas patris est, quia est & similitudo naturæ.

Ad primum ergo dicendum quod verba illa intelliguntur dicta de Christo secundum humanam naturam, in qua minor est patre & ei subiectus. Sed secundum naturam diuinam æqualis est patri & hoc est, quod Athanas. dicit, æqualis patri secundum diuinitatem, minor patre secundum humanitatem. Sed secundum Hilar. in 9. lib. de Trinit. donantis autoritate pater maior est, sed minor non est cui vnum esse donatur. Et in lib. de Synod. dicit, quod subiectio filij, naturæ pietas est, id est, recognitio autoritatis paternæ.

Ecce 4

Sub-

fin. q. 22
artic. 4. de
cor. col. 1.
Et Boet. de
Trinit. q. 3.
art. 4.

233. art.
2. q. 3.

Lib. de Syn.
no. in 3. fol.
ante sim. lib.

In suo sym-
bolo fidei
lib. 9. de
Trin. inter-
medium &
finem lib.
Paru à me-
to illius.
Habetur
hic liber in
ter opera
Hilarij.
Art. 1. b. n. u.
q. ad 1. arg.
Lib. 3. con-
tra Maximo.
c. 18. post
mod. 10. 6.

Subiecto autem cæterorum, creationis infirmitatis.

An secundum dicendum, quod æqualitas attenditur secundum magnitudinem. Magnitudo autem in diuinis significat perfectionem naturæ (vt dictum est) & ad essentiam pertinet. Et ideo æqualitas in diuinis & similitudo secundum essentialia attenditur: nec potest secundum distinctionem relationum inæqualitas, vel dissimilitudo dici. Vnde August. dicit contra Maxim. Originis quæstio est, quid de quo sit, æqualitatis autem qualis, aut quantus sit. Paternitas igitur est dignitas patris, sicut & essentia patris. Nam dignitas est absoluta, & ad essentiam pertinet. Sicut igitur eadem essentia quæ in patre est paternitas, in filio est filiatio. Verè ergo dicitur, quod quicquid dignitatis habet pater, habet filius: nec sequitur, paternitatem habet pater, ergo paternitatem habet filius. Mutatur enim quid in ad aliquid. Eadem enim est essentia, & dignitas patris & filij. Sed in patre est secundum relationem dantis, in filio secundum relationem accipientis.

Ad tertium dicendum, quod relatio in diuinis non est totum vniuersale, quamuis de similibus relationibus prædicetur, quia omnes relationes sunt vnum secundum essentiam & esse. Quod repugnat rationi vniuersalis: cuius partes secundum esse distinguuntur. Et similiter persona (vt supra dictum est) non est vniuersale in diuinis. Vnde neque omnes relationes sunt maius aliquid, quam vna tantum: nec omnes personæ maius aliquid quam vna tantum: quia tota perfectio diuinæ naturæ est in qualibet personarum.

CONCLUSIO est affirmans, circa quam nihil est notandum, præterea, quæ de relationibus æqualitatis, & similitudinis inter personas diximus disputat. 169.

ARTICVLVS .v.

Vtrum Filius sit in Patre, & è conuerso.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod filius non sit in patre, & è conuerso. Philosophus enim in 4. Physic. ponit octo modos essendi aliquid in aliquo, & secundum nullum horum filius est in patre, aut è conuerso: vt pater discurrunt per singulos modos. Ergo filius non est in patre, nec conuerso.

2. Præterea. Nihil quod exiuit ab aliquo, est in eo, sed filius ab æterno exiuit à patre, secundum illud Michæ. 5. Egredietur eius ab initio à diebus æternitatis. Ergo filius non est in patre.

3. Præterea. Vnum oppositorum non

est in altero. Sed filius & pater opponuntur relatiue. Ergo vnus non potest esse in alio.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. 14. Ego in patre, & pater in me est.

Respondeo dicendum, quod in patre & filio tria est considerare, scilicet essentiam, & relationem, & originem, & secundum quodlibet istorum filius est in patre, & è conuerso. Secundum essentiam enim pater est in filio, quia pater est sua essentia, & communicat suam essentiam filio non per aliquam suam transmissionem. Vnde sequitur, quod cum essentia patris sit in filio, quod in filio sit pater. Et similiter cum filius sit sua essentia, sequitur quod sit in patre, in quo est eius essentia. Et hoc est, quod Hilarius dicit 5. de Trinit. Naturam suam (vt ita dicam) sequitur immutabilis Deus immutabilem gignens Deum subsistentem. Ergo in eo Dei naturam intelligimus, cum in Deo Deus inest. Secundum etiam relationes manifestum est, quod vnum oppositorum relatiue est in altero secundum intellectum. Secundum originem etiam manifestum est, quod processio verbi intelligibilis non est aliquid extra, sed manet in dicente. Id etiam, quod verbo dicitur, in verbo continetur. Et eadem ratio est de Spiritu sancto.

Ad primum ergo dicendum, quod ea quæ in creaturis sunt, non sufficienter præsentant ea quæ Dei sunt. Et ideo secundum nullum eorum modorum, quos Philosophus enumerat, filius est in patre, aut è conuerso. Accedit tamen magis ad hoc modus ille secundum quem aliquid dicitur esse in principio originante: nisi quod deest vnitas essentiarum in rebus creatis inter principium, & id quod est à principio.

Ad secundum dicendum, quod exiuit filij à patre est secundum motum processionis interioris, prout verbum exit à corde, & manet in eo. Vnde exiuit in diuinis est secundum solam distinctionem relationum, non secundum essentialiam aliquam distantiam.

Ad tertium dicendum, quod pater & filius opponuntur secundum relationes, non autem secundum essentiam, & tamen oppositorum relatiue vnum est in altero, vt dictum est.

Conclusio est affirmans, & de fide, Ioan. 14. Ego in patre, & pater in me est.

DISPUTATIO CLXIX.

Qua ratione vna persona in alia esse dicatur.

Vnam personam non esse in alia secundum se ratam sentit Henricus, c. 1.